



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XXV. Per peccatum mortale hominem, qui erat cibus Dei, fieri diaboli  
cibum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

tiam à peccatis, quæ operatus est, & fecerit  
iudicium de seipso, & iustitiam erga  
Deum, & proximum suum, liberabit à  
morte animam suam, & spirituali, æ-  
ternâque vitâ vivet.

*Per peccatum mortale hominem, qui erat  
cibus Dei, fieri Diaboli cibum.*

C A P. XXV.

**V**Ocatur res aliqua cibus, quia qui  
illam sumit, & adhibet, eâ se su-  
stentat, & vitam, quam habet, conser-  
vat, per eam crescit, in eâ saporem, gu-  
stumque percipit & eandem incorpo-  
rat, atque conuertit in seipsum. Hoc  
fit in cibo corporali; & ad huius simi-  
litudinem idem in spirituali cibo usu-  
venit. Deus habet suum cibum infini-  
tæ suavitatis, quo vitam suam alit, lau-  
teque pascit, & ex quo infinitum gu-  
stum, ac saporem capit. Hic est divina  
eius essentia, quâ ipse fruitur per intel-  
lectum, & voluntatem, contemplan-  
do se, comprehendendo se, & amando  
se

se infinito amore, & delectando se  
 infinito gaudio. Præter hunc cibum  
 qui principalis est, ei que ad infinitam  
 ipsius beatitudinē sufficit, habet alios  
 cibos, quibus impensè delectatur, qui  
 sunt in cælo omnes actus, & operatio-  
 nes, quibus Angeli, beatæque animæ  
 amant ipsum Deum, eumque laudant,  
 & ipso fruuntur; & in terrâ omnes iu-  
 sti cum omnibus, quæ ei præstant, ob-  
 sequijs, ac seruitijs, & cum omnibus,  
 quas propter ipsum exercent, virtuti-  
 bus, sunt ei admodum preciosus, ac sa-  
 pidus cibus. Omnes item peccatores  
 pœnitentes, cum pœnitentiâ, quam de  
 peccatis suis agunt, & cum vitæ suæ  
 emendatione, admodum excellens illi,  
 iucundusque cibus sunt. Et postquam  
 Deus homo factus, atque inter homi-  
 nes conuersatus est, habet hunc pro  
 singulari cibo suo, in hunc suam curâ,  
 laboremque impendit. Nam iusti sine  
 peccato nulli in terrâ erant, quia om-  
 nes (exceptâ Virgine Deiparâ) fuerunt  
 peccatores per peccatum originale, &

ij ferè omnes, qui ad vsum rationis  
peruenerant, peccatores per actualia  
peccata erant; & per Fidem, pœniten-  
tiamque faciebat illos iustos, & in ci-  
bum suum assumebat. Hoc significa-  
uit, quando expectans conuersionem  
Samaritanorum, noluit cibum corpo-  
ralem, quem ei discipuli ipsius porri-  
gebant, sumere, dicens illis: *a Ego ci-  
bum habeo manducare, quem vos nescitis.*  
Erantq; Samaritani, credituri in eum,  
& pœnitentiam de peccatis suis acturi.  
Pretiosi pisces è mari mortui extracti,  
assatiq; sunt pro homine delicatus,  
& sapidus cibus: sic peccatores per  
verbum Dei de huius mundi mari ex-  
tracti, vitijs per pœnitentiam mortui,  
& igne amoris Dei tosti, sunt admodũ  
pretiosus, opiparus, iucundusq; IESV  
Christo Saluatori nostro cibus. Atque  
hoc significauit Dominus, quando vo-  
cans Apostolos, dixit eis: *b Venite post  
me; & faciam vos fieri pisces homi-  
num.* Quasi diceret: quemadmodum  
pisca-

a Ioannis 4.32. b Matth. 4.19.

piscatores corporales pisces ex aquis extrahunt in cibum humanorum corporum; sic vos piscatores spirituales effecti, extrahetis ex aquis mundi homines peccatores, conuertendo eos a peccato, & ab inimicitia Dei ad bonam vitam, & ad eiusdem Dei gratiam, qui vobis admodum suavis pro me creatore, & Salvatore ipsorum erunt. Atque ad hoc ipsum significandum, promittens Dominus per Ieremiam, missurum se Apostolos & prædicatores Evangelicos ad conuertendos peccatores, qui per totum mundum dispersi erant, ait: *Mittam piscatores multos, & piscabuntur eos, & multos venatores, & venabuntur eos, ubicumque fuerint. Sub hisce titulis piscatorum, & venatorum, qui sunt homines capientes pisces, & animalia preciosa in cibum humanorum corporum, voluit Deus promittere ministros, & prædicatores Evangelij, qui peccatores conuersuri essent, vt significaret, peccatores conuersos mirabilem,*

a *Ier. 16. 16.*

lem, valdeque suauem eiusdem Dei cibum esse. Neque solum Christus peccatores conuersos pro suo cibo habet, sed etiam vult, vt Apostoli, omnesque ministri verbi sui, & sacramentorum suorum, eos pro cibo suo habeant. Docuit hoc S. Petrus, qui cum in mentis esset excessu, vidit in caelo descendere vas quoddam, velut linteum magnum, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terra, & volatilia caeli: & audiuitque vocem dicentem sibi: Surge Petre, occide, & manduca. Cui ille respondit: *absit, Domine*, vt animalia immunda, & in lege prohibita manducem, quod nunquam feci. Tunc iterum vox ad eum: *Quod Deus purificauit, tu immundum ne dixeris.* Hoc vas magnum, quod S. Petrus vidit, Ecclesiam representat; & haec animalia sunt peccatores in varia errorum, vitiorumque genera lapsi: Occidere eos, est, ipsos conuertere, quia per Fidem, & poenitentiam peccatis moriuntur; & manducare eos, est ipsos,

a *Actor. 10. 11.*

ipsos, postquā conuersi sunt, pro cibo  
 valde pretioso, & suauiter habere, quod  
 hæc est voluntas Dei Patris, conuersio  
 sanctificatioq; peccatorum; & implet  
 hanc eius voluntatem, conuertendo,  
 sanctificandoque animas, debet esse  
 eibus omnium ministrorum Euangelij,  
 sicut fuit eibus Christi, qui dixit: *Mis-  
 eris eibus est, ut faciam voluntatem aterni  
 Patris, qui misit me in hunc mundū.* a  
 O quanti Christus hunc cibū estimat!  
 O quantum illius causā fecit! Magnifa-  
 ciunt homines cibum corporis: sed to-  
 tum, quod propter ipsum faciunt, est  
 laborare, & sudare corpore, & rem-  
 bonaq; sua ad coëmendū illum dare;  
 & sic per magnam exaggerationem  
 dixit Ieremias de Israëlitis, *dedit eis  
 tempore famis pretiosa quæq; pro cibo.* b  
 At Christus D. N. pro hoc cibo bene-  
 dictæ animæ suæ, qui sunt peccatores  
 conuersi, & iustificati, dedit totam  
 substantiam suam, id est, hunc totum  
 mundum visibilem, quem hominis ser-  
 uatio

a Ioannis 4. 34. b Thren. 1. 11.

uitio subiecit, & Angelos cæli, quos  
eius custodiæ deputavit; & totū suum  
sanguinem, vitamque suam dedit, &  
corpus suum grauissimis tormentis, &  
animam suam amaritudinibus, dolo-  
ribusque immensis exposuit. *a* *Christus*,  
inquit Sanctus Paulus, *ut sanctifi-*  
*icaret populum*, peccatoresque homines  
iustos faceret, mortem Crucis *passus est*  
in monte Caluarie, qui *extra portam*  
Ierosolymæ erat. Idemque vult suos  
discipulos, ac ministros facere ad ac-  
quirendum hunc cibum; quemadmo-  
dum fecit, significauitque S. Paulus,  
dicens: *b* *Omnia*, quæ sunt in mun-  
do, *pœnalia sustineo propter peccatores*  
*electos, ut saluentur*. Videamus nonni-  
hil, quæ fiat, ut Christus tanti hunc ci-  
bum æstimet, velitque eum tanti à ser-  
uis suis æstimari. Quando peccator,  
de peccatis suis poenitentiam agit, &  
gratiam consequitur, fit Christi mem-  
brum, vnitur, incorporaturque ei,  
Spiri-

*a* *Ad Hebr. 13. 12.*

*b* *2. Tim. 2. 10.*

spiritualiter vnum cum ipso efficitur  
 deque Christi spiritu, conditione,  
 virtute participat. Et dum Christus  
 cum sibi tam vnitum videt, amat il-  
 lum, summiq̄ue æstimat, tanquam res  
 suam prorsus intimam sibi, & *inmisc-*  
*ratam*. Et dum æternus Pater, qui Fi-  
 lium suum amat infinito amoris pel-  
 lago, videt peccatorem poenitentem, vi-  
 uum eiusdem Filij sui membrū factum,  
 tam ei incorporatum, tamque penitus  
 visceribus eius insitum, amat, æstimat-  
 que illum sine mensurâ propter Filium,  
 in eoque sibi complacet suprâ quàm  
 dici potest. Atque hoc est, Deum ha-  
 bere peccatorem conuersum pro pre-  
 tiosissimo, & suauissimo cibo. Quæ res  
 cum ita se habeat, quando homo con-  
 sentit in aliquod peccatum mortale,  
 desinit esse cibus Christi, quia fit tam  
 abominabilis, tam horribilis, tamque  
 amarus per mortale peccatum, vt Deus  
 non solum eo non delectetur, sed eum  
 oderit, & abominetur; quia, vt Sa-  
 piens dicit, *abominatio est Domino vita*

im.

imp  
 esse  
 Dia  
 fit n  
 bol  
 gus  
 tiq̄  
 qua  
 cipi  
 pliu  
 infe  
 tisa  
 rabi  
 num  
 ad p  
 uen  
 pecc  
 eo po  
 cepi  
 pecc  
 poen  
 ledid  
 stias  
 a  
 cap. 1

*impij.* a Et desinens miser peccator, esse cibus dulcissimus Dei, fit ipsius Diaboli cibus, quia ei incorporatur, & fit membrum eius, & res eius, & Diabolus quo potest, modo, delectatur, & gustum, ac saporem in ipso capit. Tantique Diabolus hunc cibum aestimat, ut quamvis sciat, quod plures homines decipit, & ad peccandum inducit, hoc amplius pœnam accidentalem, quam in inferno habet, crescere, tamen ad satisfaciendum huic fallaci gustui, & ad rabidum hoc desiderium explendum, nunquam cesset homines decipere, & ad peccata inducere; quia, ut S. Bonaventura ait, tantoperè Diabolus hunc peccati cibum desiderat, ut *nunquam eo possit saturari.* b Cum Diabolus decipisset Evam, & per illam Adamum peccare fecisset, puniens eum Deus in pœnam peccati ipsius ei dixit: c *Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terra: super pectus tuum gradiêris,*

¶

a *Prou. 15. 9.* b *D. Bona. l. 1. diat. salut. cap. 1.* c *Gen. 3. 14.*

& terram comedes cunctis diebus vi-  
 tua. Per similitudinem serpentis natu-  
 ralis, cuius figuram Diabolus assu-  
 m- perferat, voluit Deus significare pœnam  
 quam ei infligebat, quæ erat, propter  
 culpam esse viliores brutis animanti-  
 bus, propter suam superbiam semper  
 abijci, contemniq̃ue, & in cibum pec-  
 cata, peccatoresq̃ue habere. *a* Etenim  
 in sacrâ Scripturâ peccator terra vo-  
 catur, eò quod cor suum in rebus ter-  
 renis colloquet; & quemadmodum iu-  
 stus, qui cœlestia bona amat, cælum  
 spirituale, & homo cœlestis dicitur, sic  
 peccator, qui terrena amat bona, ter-  
 ra est, & homo terrenus. Hanc ter-  
 ram, id est homines peccatores Diabo-  
 lus pro cibo habet. *b* Ita Sanctus Gre-  
 gorius, per terram, inquit, peccatores  
 accipimus: antiquus enim hostis terram  
 comedit, quia peccatores quosque in ven-  
 trem suæ malitiæ abscondit; isq̃ hominum  
 perditionem desiderans quodammodo reser-  
 vitur, dum pravis eorū operibus delectatur.

Ne.

*a* Ps. 18, 5. *b* D. Greg. P. 5. pœnit.



Hoc querit Diabolus, & hoc se  
 homo fidelis, quoties in peccato  
 mortale consentit: cibum se Diabo  
 constituit, inque fauces eius immitit  
 ut deglutiat ab eo, & ipsi incorpo  
 retur. Confitetur S. Augustinus se hoc  
 fecisse, quando ante suam conuersio  
 nem peccabat, agitque Deo gratias,  
 qui à tanto ipsum periculo liberasti  
 dicens: *a Ego, Domine, gratias tibi ago  
 quoniam à periculo, in quod me conie  
 ceram, liberasti me. Quoties me iam ab  
 sorbuerat infernalis ille draco? & tu, Do  
 mine, ab ore eius extraxisti me: liberasti  
 & defendisti me ab eo. Quis non fugiat  
 peccatum mortale, quod tantopere  
 nocet? quis tantum, tamque manife  
 stum damnationis suæ periculum non  
 timeat? Certum enim est, ubi fuerit  
 corpus, futurum etiam cibum, quia  
 illud conuersus est, & ubi fuerit co  
 put, futurum quoque membrum, quod  
 cum eo unitum fuerit: & quoniam pe  
 ccatum mortale homo sit cibum, &  
 mem-*

*a D. Aug. in soliloq. c. 18.*

*De gravitate peccati mortalis. 281*

membrum Diaboli, consequens est, cum à Deo maledictus sit in inferno, ipsum cum Diabolo in perpetuum arsurum, & in ipso executioni mandatū iri sententiam, quā Christus fulminabit impios, dicens: *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.*

Perseueremus igitur in iustificatio-  
nis gratiā, non consentientes mortali  
peccato, & erimus valdè preciosus, ac  
suavis Christi cibus: Et benedicto Do-  
mino, qui sedet ad dexteram Patris,  
immensā gloriā coronatus, vniti spiri-  
tualiter, incorporatiq; erimus: Et sicut  
in hac vitā participamus dona gratiæ,  
quia cibus, & membra illius sumus, sic  
etiam in alterā vitā bona gloriæ,  
quæ pro electis suis parata  
habet, participabi-  
mus.

OS(O)S

N 2

Per